Rx 2. nov. 66.

Nobilissimo et amplissimo Viro D. Constantino Hugenio D. de Zulichem &c. in Foederati Belgij Republica Viro Perillustri ac Poetae celeberrimo Famigeratissimo.

Thomas Perditus de Jubligny.

Magnifice Domine,

Perlegi scriptum de organo. Ipsemet retulissem et judicium dixissem nisi me valetudo cum hac tempestate arceret à plateis. Dignum est istud thema consideratione doctorum et synodos quoque nostras aliquoties habuit occupatas. Tractatio methodum habet elegantem, quaedam abusus recte perstringens, quaedam usus recte exigens et argumentis solidis singula suadens. Qua parte theologiam et doctrinam de rebus adiaphoris propius concernit videbatur impetere quaedam reformationis essentialia. Exciderunt quaedam notae inter legendum natae, sed carent decore et decoro calami et styli. ~~Addo~~ tamen ut tester me legisse. Venia supplebit defectum. ~~Addo~~ Addo duo manuscripta olim, cum Leidae studerer, composita, quorum alterum de ceremonijs ecclesiasticis argumenta suppeditat cur ecclesiasticum illum organi usum, de quo in fine scripti agitur, improbem, alterum de philosophiae vera dispositione rationes reddit cur aliquid aliud ad finem istum obtinendum introductum cupiam. Rogo quam humanissime ut M. T. utrumque manuscriptum dato otio percurrat et judicium suum mihi aperiat. Illud vero quam maxime, ut omnibus qui ad clavum Reip. sedent infundat talem sollicitudinem circa ea quae ecclesiae dedecori et scandalo sunt.

Ephesiorum cap. 5 v. 20, 21 etc.

Vale.

Hag. 20 Apr. 1640.

M. T.

humill.

Casparus Streso.

4

Syp. MS. 1. nr. 217

© British Library
Add MS 22953, f. 237
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2344

BRITISH MUSEUM

Magnifico Domino
Domino de Zuilichem

© British Library
Add MS 22953, f. 237
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2344